



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

V. Refertur alius Sixti locus, ex quo perperam collegit Holstenius Vicariatum Thessalonicensem non sedis sed personæ privilegium fuisse.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

est à Sixto, cum ea ipsa amplitudine auctoritatis quam superiores Pontifices decessoribus ejus tribuerant. Indicta erat anno **C D X X V**. Synodus Episcoporum apud Thessalonicam. Ad Episcopos ergo in synodo apud Thessalonicam congregandos scribens Sixtus de Anastasio, his eum verbis commendat: *Nos fratri & cœpiscopo nostro Anastasio tantum tribuimus quantum decessoribus ipsis à nostris decessoribus attributum. Priorum judicium sequimur hæc constituendo quæ ab his novimus constituta, quia & ipsum hujus probamus meriti cujus fuerunt illi qui talia meruerunt. Nullus obviet salubribus constitutis, nullus præceptionibus his resulet. Habeant honorem suum Metropolitanis singularum, salvo hujus privilegio, quem honorare debeant amplius honorati. In provincia sua jus habeant ordinandi. Sed hoc inscio vel invito, quem de omnibus volumus ordinationibus consuli, nullus audeat ordinare. Ad Thessalonicensem majores causæ referantur antistitem. Ipsum major cura respicit eos qui ad episcopatum vocantur discutiendi sollicitius & probandi. Ipse optimos solerissimosque de vestro numero eligat quos negotij secum adscisciat arbitros, aut sine se tribuat qui in disceptationem missa componat.*

V. Sed operæ pretium est aliam Sixti constitutionem, qua potestas Episcopi Thessalonicensis paulo apertius declaratur, referre, directam universis Episcopis per Illyricum, datam autem xv. Kal. Januar. Aëtio iterum & Segisvulto Consulibus, id est, anno Christi quadringentesimo trigesimo septimo. *Illyricanæ omnes Ecclesiæ, inquit, ut à decessoribus nostris accepimus, & nos quoque fecimus, ad curam nunc pertinent Thessalonicensis antistitis; ut sua sollicitudine, si quæ inter fratres nascantur, ut assolent, actiones, distinguat atque definiat, & ad eum quicquid à singulis sacerdotibus agitur referatur.* Hæc mirari subit infelix Holstenij judicium de vero sensu hujus loci, ex quo manifestè colligi putat privilegium illud, non sedis, sed personæ privilegium fuisse, additque statim curam illam alij Episcopo urbis alterius pro arbitrio Romani Pontificis demandari potuisse. Istum verò sensum colligit ex voce *Nunc*, ac si possessio præsentis temporis aboleret omnem aliam possessionem, cum è contra ex contextu epistolæ constet hæc agi de privilegio Ecclesiæ, non verò personæ, uti supra diximus.

VI. Quòd autem ait Holstenius curam illam alij Episcopo urbis alterius pro arbitrio Romani Pontificis demandari potuisse, facile assentior. Nam & posteriorum temporum exempla probant eos alios Episcopos delegasse vices suas in variis provinciis. Sed an cura illa sic alij Episcopo tribui potuerit ut non

amplius Thessalonicensi incumberet, & ab eo prorsus auferretur, non ita exploratum habetur. Nullus quippe dubitat, ut adnotatum est ab illustrissimo Archiepiscopo, quin privilegia quæ propter merita conceduntur, in contractus naturam transeant, ideòque revocari nullo modo possint. Magna porrò Thessalonicensium Episcoporum in sedem apostolicam merita fuisse probant Romanorum Pontificum epistolæ ab Holstenio editæ. Præterea cum consuetudo, uti supra diximus, obtineat vim legis, & convelli non possit, constat vicarium apostolicæ sedis adimi non potuisse Ecclesiæ Thessalonicensi, tamen causam abolendo privilegio fortassis dedisset is qui cathedræ illi præsidebat. Nam licet interdum diversa sint merita præfidentium, ut ait sanctus Leo, tamen jura permanent sedium; & ut ait Alexander III. in epistola ad Thomam Archiepiscopum Cantuariensem, *ex delicto persone non debet Ecclesiæ jacturam aliquam vel incommòdum sustinere.* Denique semper, sed præcipuè in causis ecclesiasticis, vitandum est scandalum, & Summi Pontifices maximè cavere debent ne rescriptis suis scandali occasionem præbeant. Scandala porrò & offensiones in republicam Christianam invehuntur, quando status ecclesiasticus aliqua novitate percellitur, & consuetudines receptæ convelluntur. Dedit magnum istius rei exemplum ætas Hormisdæ Romani Pontificis, & quidem in occasione quæ convellebat privilegia Thessalonicensis antistitis, ut necesse non sit exempla petere è longinquo.

VII. Ioannes Nicopolitanus Episcopus, idemque veteris Epiri Metropolitanus, relationem de sua ordinatione, sicut verus consuetudo posebat, non miserat ad Dorotheum Episcopum Thessalonicensem, propterea quòd is non erat in communionem sedis apostolicæ, & quia Pontifex Hormisdæ præceperat ne quis debitam sedi Thessalonicensi reverentiam exhiberet, nè eum susceperet ceu Vicarium sedis apostolicæ. Hanc Ioannis temeritatem acriter ultus est Dorotheus, principali auctoritate frater. Ioannes ergo agnoscens se imparem Dorotheo, literas ea de re ad Hormisdam scripsit per Diaconum suum, licentiam petens destinandi relationem ad Episcopum Thessalonicensem secundum consuetudinem. At Hormisdæ Episcopum illum admonuit nè tale aliquid aude-re tentaret, si cum ipso veller in communionem persistere; & Episcopis Epiri id ipsum sub consultationis colore poscentibus rescriptis se hujus illis rei auctorem existere non posse, quam, si inscio se cognosceret factam esse, culparet. Ne tamen afflictò non opitularetur,

Apud Holsten.
pag. 91.

Apud Holsten.
pag. 99.

Vide supra cap.
22.